

dicta, scilicet quod comburatur. ¶ Si vero aliquis expendiderit monetam falsam se sciente usque ad tres monetas, restituat illi cui dederit tot bonas monetas quot ei dederit, et solvat, pro qualibet falsa moneta sic expensa vel data, comuni nomine pene
5 decem denarios; et si expendiderit a tribus monetis superius, // 146 B
refitiat de bonis monetis cui dederit falsas et solvat comuni libr. decem par. nomine pene, et falsarius reputetur. ¶ Salvo quod expendens vel dans possit se defendere, prout ius postulat et requirit, se [non] fraudolenter vel nescienter dedisse,
10 et salvo quod ei possit probari ¹ in contrarium. ¶ Et si aliquis usurarius publicus sive aliquis de sua familia vel aliquis aurifex sive mercator, habitans in civitate Tergesti et tenens publice stationem, accusatus fuerit expendidisse decem monetas falsas simul et semel et abinde superius, et ei probaretur per
15 unum testem, quod dominus potestas inquirere teneatur veritatem per se absque licentia iudicum etiam cum corda tormenti, et inventum culpabilem punire in libr. quinquaginta par., et denotetur infamia et scribatur in capitulario de falsis. ¶ Et si aliquis ex predictis usurariis familia aurificibus mercatoribus
20 expendiderit monetam falsam a decem monetis inferius, puniatur in libr. decem par. et falsarius reputetur. ¶ Et si aliquis alius civis vel habitator Tergesti inventus esset expendidisse monetam falsam nescienter, perdat monetam in duplum, que deveniat comuni. ¶ Preterea, si quis inventus fuerit toronçare
25 vel toronçasse aliquam monetam, solvat comuni libr. centum par. nomine pene, et si non habuerit unde solvere, ponatur in carceribus comunis in quibus stet uno mense suis expensis, et si usque ad dictum terminum non solverit // condempna- 147 A
tionem, incidatur ei manus destra et monetam toronçatam
30 perdat, que venire debeat in comuni.

¹) *probare.*